

X B



SIMPLICIVM
MEDICAMENTORVM
EX NOVO ORBE DELATO-
RVM, QVORVM IN MEDICINA
VSVS EST, HISTORI AE
LIBER TERTIVS:

Hispanico sermone nuper descriptus à D. NICOLA
MONARDES, Hispalensi Medico:

Nunc verò primùm Latio donatus, & notis illustratus
a CAROLO CLVSIO A.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
M. D. LXXXII.

Имя отчима
Стахи Федор
Кириллович
Федоров
Стахи

— о — М. С. К. С. М. С. М. С. М. С. М. С.

ILL^{ri} D O M I N O²

PHILIPPO SIDNÆO EX

ILL^{ma} WARWICENSI FAMILIA,

& Generoso Domino Eduardo Dier ex amplissima Dierorum originem ducentibus,

CAROLVS CLVSIUS A.

Tot in me, dum apud vos fui,
beneficia contulisti, Ill^{ris} Do-
mine Sidnæe , ac Generose
Dn. Diere (libenter enim con-
iungo, quos indissolubili veræ
amicitiæ nodo connexos esse scio) ut ingra-
titudinis turpē notam nulla ratione effugere
posse credam , nisi quid pro his rependere
studeam. Sed diligenter vndique dispicieni,
diu nihil sese obtulit , quod animo meo fa-
tisfaceret.

CETERVM sub meum è Britānia disces-
sum, in librum fortè incidi vestro quidem
idiomate cōscriptum³, sed ex Hispanico ver-
sum, & Generoso Dn. Diero dicatum , qui
de Simplicibus medicamentis ex nouo orbe
declatis agit, Auctore NICOLAO DE MO-
NARDES Hispalensi Medico.

Cuius duas priores partes latinas ante

A 2

osten-

octennium feci, & in vnum volumen, quod
cadem capita in secunda interdum repe-
ret, contraxi. Tertiam cum serius ab Au-
to-
re conscriptam hactenus latinè loquentem
minimè audiuerimus, operæ pretium me fa-
cturum existimaui, si latio donarem.

H I S P A N I C V M igitur exemplar C.V.
Hectoris Nuñez Londinensis Medici opera
nactus, dum in Belgium properatē aduersi-
venti Graueſendæ aliquamdiu detinēt, & in
medio etiam equore nauis qua vehebar cur-
sum impediunt, ut istius moræ tedium falle-
rem, tum istic, tum inter nauticos clamores
latinum feci, sēriem capitum (quorum non-
nulla non infrugiferis, ut spero, annotatiun-
culis illustravi) fere vbiq. immutans, rerum
quæ in iis continentur simili natura ita po-
stulante.

Q V E M ingeniali mei atque industriæ fœ-
tum, ut aliquam grati animi demonstratio-
nem præberem vestro nomini dicare volui,
certò mihi persuadens, eum vobis gratiorem
futurum, quàm aliud quiduis quod à me
proficiisci queat.

D E V S vtrumque diutissimè incolumem
seruet, ad Britannici regni decus, & publi-
cam eius vtilitatem. Francoforti ad Mœ-
num. x. Cal. Octobr. m. d. LXXXI.

S I M P L I .

S I M P L I C I V M
M E D I C A M E N T O R V M
E N O V O O R B E D E L A T O -
R V M L I B E R T E R T I V S .

De Canella noui orbis.

ANNO Domini quingentesimo qua-
dragesimo supramilesimum, Francis-
cus Piçarrus fratrem Consaluum regio-
ni Quito præfecit: ad quam alacri ani-
mo profecti sunt Hispani, quoniam ea-
dem opera illam petebant prouinciam
qua à Canella nomen sumpsit, Quito ulteriorem. Ma-
xime celebris erat inter Hispanos Canella rumor, quo-
niam magni rem esse pretij ab Indis intellexerant.

ITER itaque Consalus Piçarrus instituit cum du-
centis Hispanis, quod cùm asperum esset, & amona dif-
ficultas ubique esset, non sine magnis molestiis in eam Cumaca
prouinciam peruererunt in qua Canella nascitur, ab In- prouincia.
dis Cumaca appellatam, & sub æquatore sitam.

PORRO arbores quæ Canellæ ferunt, media sunt ma-
gnitudinis, et immortali coma præditæ, uti reliquæ Indi-
ce arbores, foliâq. habent laurinis similia: fructus est par-
uo pileo seu petaso forma similis, ea latitudine qua num-
mus Hispanicus octo regalib. estimatus (qui Germanici
taleri amplitudinem æquat) interdum etiam maior, in-
trinsecus & extrinsecus ex purpura nigricans, interius
lauis, foris asper, cuius margines crassitie iam dictum
nummum æquant, summitas vero longè superat, & pe-

Canellæ hi-
storia.

6 SIMPLICIVM MEDICAMENT.
dicalo prædicta est, unde ex arbore dependet: gustatus
candem saporis suavitatem & odoris fragrantiam habe-
re deprehenditur quam legitima Canella ex orientali
India delata, cum nonnulla adstrictione coniunctam: in
puluerem tritus, & edulis inspersus, eandem illis sapo-
ris et odoris gratiā conciliat quā Indica Canella: arboris
cortex qui crassus est, nullum Canellæ spirat odorem, aut
saporem refert. An interior tenuiorque membrana simi-
le quid obtineat, me latet: nam crassiorem duntaxat
corticem ipsumque fructum vidi. Folia trita tenuem
quendam Canellæ odorem spirare ferunt: sed primaria
vis in solo fructu consistit, contrà quām in orientalis In-
diæ Canella, quæ omnem odoris & saporis gratiam in
cortice obtinet, ut omnibus notissimum est. Verum qui-
dem est alteram alteri præstare, quoniam (licet eiusdem
generis sint omnes arbores quæ Canellam ferunt) aliæ ta-
men tenuiore cortice præditæ sunt, qui magis commenda-
tur, aliæ crassiore, qui superiori bonitate cedit.

Cassia.
Cinamomū.
Cassia li-
gnea

Hinc factum est ut nonnulli Canellam in varia gene-
ra distinxerint, videlicet in Cassiam, in Cinamomum,
& in Cassiam ligneam, cùm tamen unius arboris genus
sit quæ istos cortices profert, & sola loci varietas faciat
ut altera alteri præstantior sit: itaque Cassia & Cina-
momum solis nominibus differunt, cùm utrumque Ca-
nella tenuior & præstantior sit: eam ob rem ubi Cassia
præscripta inuenitur, Cinamomum substitui potest, &
è contra.

Canellæ Pe-
ruanæ facul-
tates.

V T I L I S porro ad multa est noster hic fructus Ca-
nella vocatus: nam in pollinem tritus ventriculum robo-
rat, flatus discutit, oris fætorem corrigit, & ad ventri-
culi dolores præstans est remedium: cordi prodest, & co-
lorem faciei commendat: pulibus & cibis veluti Ca-
nella inspergitur, quoniam iisdem facultatibus præditus
est: è vi-

est: è vino aut aqua ad eam rem accommoda sumptus, muliebres purgationes molitur.

Calidus est in tertio excessu & siccus in primo, cum manifesto robore, ob adstrictionem qua præditus est.

*Hvivs Canellæ meminimus in nostris ad cap. 15. lib. 1. Aromatum scholiis ex Francisco Gomara & reliquis qui Peruanam historiam descripferunt.

DE CASSIA SOLVTIVA CONDITA.

CASSIÆ solutiua& flores & folia videre cùm cuperem, quandoquidem eius fructus nobis adeò cognitus est, siccata tandem accepi.

EST autem folium pyri folio fere simile, flos vero exi- Cassiæ solu-
guus, albus, quinque foliis constans, qui etiam resiccatus tiuæ histo-
utcunque suauem spirat odorem: ex iis floribus enascun- ria.
tur oblongæ illæ siliquæ Cassiæ, vniuerso orbi adeo notæ,
atque illi ex hac nostra vrbe communicatæ, ob ingentem
nauium quæ eam inde aliò vehunt quantitatem. Initio
aduehebatur ex Alexandria Ægypti, deinde Venetias,
vnde vniuerso orbi communicabatur: nunc postquam ex
S. Dominico & S. Ioanne de portu diuine ad hanc ciui-
tatem aduehi cœpit, vniuerso deinde orbi ipsa submini-
stravit, quoniam quæ in nostra Índia prouenit melior Peruana
& maioris efficacia censeatur, quam orientalis. Ex par- Cassia ori-
tuo illo flore enascuntur oblongæ illæ Cassiæ siliquæ, qua- tali præstan-
rum nonnullæ quatuor palmorum longitudinem æquant:
ilico postquam natæ sunt, donec iustum magnitudinem
sint consequitæ, semper virent, & gustu sunt aspero,
quemadmodum immatura ceratia, deinde maturari in-
cipientes rubescunt primum, atque postea nigrescunt,
quoque atriores fiunt, maturiores & dulciores euadunt:
etenim eæ quæ atrum colorem nondum adeptæ sunt, sed
non nihil adhuc rufescunt, immaturæ sunt: atriores au- Cassiæ dele-
tem, la-
ctus.

8 SIMPLICIVM MEDICAMENT.

tem, lauiiores, & grauiores reliquis preferuntur.

Cass. flos
conditus.

PORRO huins flos duobus modis condiri solet, nempe aut cum saccharo tritus, rosati sacchari modo, vel flos integer saccharo exceptus & una coctus: utraque ratione bene sapit, & sine molestia euacuat, sumpitus ad durum aut trium unciarum pondus, ut saepius sum expertus: si quod est vitium, in eo admittitur quod viliore saccharo excipiatur: nam si selectiore saccharo condiretur, non dubium est quin præstantior esset, graviorisque saporis. medicamentam est delicatioribus conueniens, nam eisdem effectus præbet quos ipsa fructus pulpa.

Cass. tenella
la condita.

Conditur etiā tenella et recens natæ siliquæ saccharo primum exceptæ & decoctæ: decoctione enim & saccharo tollitur illa asperitas & adstrictio qua præditæ sunt, teneroresque & palato longè gratiories fiunt: ea sine molestia ventrem emolliunt, & sine iis symptomatis & torsionibus qua medicamenta purgantia consequi solent: nam neque palato ingratæ sunt, & purgationem facilius molliuntur. Dosis est à duabus unciiis ad tres: saepius eas cum felici successu dedi, & ipse sumpsi cùm æger essem.

Multa istarum siliquarum conditarum dolia singulis annis ex S. Dominico, & Portu diuite aduehuntur.

Reliquæ siliquæ plenam maturitatem adeptæ præstantissimum sunt pro suo genere purgans medicamentum quod hactenus notum fuerit, quodque facilius securiusq. euacuet, uti non modo medicis sed & aliis omnibus notum est: nam ea nocumenta & symptomata non adfert quæ alia purgantia medicamenta consequi solent, sed benignum cest, & inter benigna maxime benignum, cuius facultates & naturam peculiari capite priore libro descripsimus: quæ autem nunc retulimus, ea duntaxat ratione id egimus, ut foliorum et florum nunc à me acceptorum mentionem facerem.

C E T E -

CETERVM eos qui Cassiam solutuam ad ventrem leniendum, & euacuandas feces præscribunt admonitos volo, cambreui admodum spatio ante prandium sumendum esse, nempe ad summum dimidia hora, quoniam cum cibis mixta, simul cum illis facultates exerit, eaque ratione facilius & sine molestia opus suum molitur, quod minimè facere potest quæ duabus aut tribus horis ante cibum sumitur, ut hodie vulgo fit, quoniam cibi sumptio nem differendo, peragere suum opus cupit, & cum sit admodū debilis, omnino in vapores resoluitur, qui per uniuersum corpus sese diffundunt; & si diutius cibus differatur, in alimentum conuertitur, quod multorum annorum quibus medicinam feci experientia didici: propterea semper illam solummodo dimidia ad summum hora ante cibum exhibere soleo, facileque operatur: si verò multis horis ante cibum detur, parum admodum euacuat.

PVRGANTIA verò medicamenta cum cibis permisceri, præceptum est Hippocratis multis locis, atque etiam Galeni in commentariis: verum quidem est multis horis ante cibum dari solere, quando non euacuare, sed vapores duntaxat per renes & reliquum corpus diffundi cupimus.

DE FIGV PERVANA.

Ex Hispania ficus arbores in Peruanas prouincias delatae sunt, ubi adeo feliciter creuerunt, ut nunc maxima istic illarum sit copia, quæ plurimos eosdémque optimos fructus gestant.

PORRO in eodem regno insecta quedam reperiuntur, quæ araneæ appellantur eo quod ubique fuerint sua retia texant hispanicarum aranearum modo. Magna sunt ea insecta, malum aureum amplitudine & quantia, adeo virulenta ut eorum ictus ingulent, nisi efficaci

A S remedio

Aranea pe-
ruana.

IO SIMPLICIVM MEDICAMENT.

remedio succurratur: nam si diutius differatur, & subeat virus ad cor, praesens mors consequitur, neculla remedia prosunt: miram autem in fici utilitatem experti sunt, si quotquot icti fuerint statim ad eam configiant, & foliorum f. lac ex ficus foliis manans bis aut ter in vulnus instillent: nam venenum ex ictu in vulnere relicto omnino extinguitur, tollunturque dolores & symptomata succedita, solo vulnere relicto, quod cum sit exiguum, facile curatur: diu tamen apertum conseruare solent. Atque ut nunquam deesset hoc remedium, voluit Deus ut ficus nunquam istic folia deponerent, sed perpetuo virerent.

DE ARBORIS CORTICE AD RHEUMATISMOS UTILI.

Cortex ad rheumatismos utilis.

INTER reliqua mihi ex Peru missus est crassus quidam cortex, quem ex vasta arbore ulmo simili cum amplitudine tum forma detractum ferunt.

Nascitur ad ripas fluminis cuiusdam vigintiquingue lencis à Lima distantis: nec alibi in India facile reperias.

INDI capitibus defluxionibus, rheumatismis, aut aliqui capitibus grauedine laborantes, huius arboris corticem in tenuissimum puluerem comminuunt, & naribus imponunt: humores enim insigniter educit, qua ratione liberantur: quod verum esse nos ipsi experti sumus.

Secundum caloris gradum excedere videtur.

DE PACAL.

Pacal.

AD eiusdem fluminis ripas nascitur altera arbor quam Indi Pacal vocant, iam descripta multo minor.

eius facultates.

HIVS ligni vesti cineribus cum sapone mixtis, Indi ad tollendos lichenes etiam foedissimos utuntur, cum qui in capite nascuntur, tum qui reliquas corporis partes occupant: sed & vetustas cicatrices emaculare dicitur.

Paululum

Paululum huius ligni etiam accepi, cuius facultates
experiemur.

DE STROBILO SEV NVCE PINEA.

Nux pinea celeberrimus est totius Indiae fructus cum Strobilis apud ipsos Indos, tum apud Hispanos. Pineæ verò nucis Peruanus. nomenclaturam sibi adscivit, ob eam quam cum nostris tibus pineis nucibus similitudinem habet: nam licet laevis sit, vestigia tamen per uniuersum corpus sparsa habet tanquam pinea nux: forma est eius generis cyphi quem vulgo imperialem vocant, laxiore ventre & angustiore ore, ex quo surculi seu germina nascentur, quæ foliorum vicem præbent, & fructum aspectu pulchriorem redunt: terra committuntur hæc germina, atque ex iis nascentur stirpes pineas nuces ferentes, quæ tamen singula unicum duntaxat fructum in fastigio gestant, viridis primum, deinde per maturitatem aurei coloris, pulpa interiore alba, & fibrosa, atque in ore liquefcente, gratissimi saporis, numerosis tamen seminibus fuscis per totam pulpam sparsis, quæ reiici oportet dum fructus editur: odor eius mali persici quod à cotoneo malo cognomen sumpsit: sic ut ubi unicus eius est fructus, totum cubiculum illius odorem spireret.

STOMACHO utilis esse censetur, item cor robora-
re, languentem appetitiam excitare. Vulgaris est per
uniuersam Indiam, & magnæ apud incolas existima-
tionis: editur prima mensa, & in pomeridiano aestu, nam
frigidus esse perhibetur.

Siccus ad me perlatus est & conditus: siccus, ut illius
formam contemplarer, duntaxat utilis fuit: at conditum
grati saporis deprehendi, tametsi asperiusculum: im-
maturum dum condiretur fuisse arbitror.

* H V N C

* H V N C fructum luculenter descripsit Ouidius sub Iaia-
ma nomine, cuius historiam ex nostris in cap. 9. secundi Aro-
matum libri notis pete.

DE G V A Y A V I S.

E' Continentem etiam pertulerunt semen fructus illius
adeo apud Indos & Hispanos celebrati, quem Guayauas
appellant.

Guayauas
historia.

A R B O R est mediocris magnitudinis, ramis sparsis,
folio laurino, flore candido aurea mali floribus simili, ali-
quanto tamen maiore, odorato: facile nascitur quocun-
que loco seratur, adeoque luxuriat & serpit, ut in terræ
vitiorum numero habeatur, nam plurimorum agrorum
gramē quod depasturi essent greges corrupti nimio uti
rubi implexu: fructus nostris malis similis est, eorum
magnitudine quæ ab Hispanis Camuesas vocantur, vi-
ridis initio, & per maturitatem aureus, pulpa interiore
alba, interdum etiam rosea: diuisus quatuor concamera-
tiones aut vascula habere conspicitur, in quibus semina
reconduntur, mespilorum seminibus similia, durissima,
colore fusco, omnino ossea, medullæ & saporis expertia.

Fructus edi solet prius demto cortice, palato gratus est,
sanus & facilis concoctionis: viridis in alii profluiis
utilis est, nam valde adstringit: prematurus aluum sol-
uit: at medius, hoc est neque immaturus neque prema-
turus, si assetur, valentibus & agris confert, nam ea ra-
tione paratus, senior est gratiorisque saporis: præstan-
tior autem is est quem domesticæ et cultæ arbores ferunt.
Foliorum decocto Indi utiliter tumentia crura lauant,
eodem licenis obstrunctiones tolluntur.

Fructus frigidus esse videtur, propterea febricitanti-
bus assatus datur. Vulgaris est per uniuersam Ændiam.

* H V I V S fructus meminit Gomara hist. general. cap. 67. Varia
sunt, inquit, Guayaos genera, eademq; varietas est in fructu,
qui ple-

Guayauas
facultates.

qui plerumque pomis Hispanicis Camuefas appellatis similis est, modò rotundus, modò alia forma, omnino viridis, foris coronatus vt mespila, intus albus aut rubescens, in quatuor partes diuisus quemadmodum iuglandes, & in singulis partibus multa grana continens. Maturus sapidus est, immaturus verò asper, & adstringens Sorborum modo. In nimium maturo color perit & sapor, vermesque generantur.

Meminit & Ouidius Indicæ historiæ lib. 9. eiusque luculentam habet descriptionem.

DE CACHOS.

MISSVM præterea mihi fuit plantæ semen, plurimæ apud Indos aestimationis, Cachos vocatae.

NASCITVR arbusti modo, insigni virore prædicta est, folio rotundo & tenui: fructum fert malo insano similem, altera parte sessilem, altera turbinatum, cinerei coloris, grati saporis & acrimonie expertis, minutum admodum semen continens. Inuenitur duntaxat in Peruannis montibus.

MAGNÆ est apud Indos, ut dixi, aestimationis, ob Cachos insignes eius facultates. Nam urinas ciet, arenulas & calculum in renibus pellit, quodque præstantius est, illius usi calculum in vesica cōminui ferunt, si mollis adhuc sit, ullisque medicamentis comminui queat: eiisque rei tam multa proferunt exempla, ut admirationem mihi pariat: nam ea est mea opinio, vesicae calculum haudquam expelli posse, solāmq. exemptionem illius remedium esse, nullum autem medicamentum adeo efficax esse, ut eum confringere valeat: aiunt tamen illius semen tritum ex aqua aliqua ad eam rem utili sumptum, calculum in lutum dissoluere, quod excretum denuo concrescat, & in lapideam duritiem conuertatur.

ADOLESCENTEM vidi cui hoc obtigisse scio. Is cum vesicae calculo torqueretur, idque à lithotomis qui calculum de-

Cachos hi-
storia.

14 SIMPLICIVM MEDICAMENT.

lum deprehenderant intellexisse, & ex symptomatis quæ patiebatur agnoscere: hominem veris initio ad fonte qui de petra cognominatur ablegauit, ubi cum duos menses hæsisset, à calculo liber rediit, & omne lutū quod paulatim eiecerat, denuo in lapidea fragmenta concretum secum in charta detulit.

Pauculum semen quod habemus terræ commitemus, & si nasceret, utemur, ut eius facultates quas in hoc morbo adeo prædicant experiamur.

DE FRVCTV SVB TERRA NASCENTE.

Fructus sub
terra nascēs.

MISSV setiam est ex Peru fructus sub terra natus, pulcher admodum aspectu, & grati saporis, qui & radice caret, neque aliquam plantam profert, aut ab illa planta producitur, sed solummodo sub terra enascitur quemadmodum tubera: dimidi digiti magnitudinem æquat, rotundus est & contortus, & affabre elaboratus coloris spadicei, nucleus intus continens, resonantem dum siccus est, amygdalæ similem, cortice fusco, intus album & in duas partes diuisum uti amygdala. Grati saporis est, & auellanam gustu refert.

INVENTVR apud flumen Marañon, nec usquam alibi per uniuersam Índiam: editur recens et exiccatus, sed torri præstat: adponitur secundis mensis bellario-rum loco, quoniam ventriculum admodum exsiccat & roborat: sed si liberalius edatur, capit is grauedinem generat.

Eum admodum aestimant cum Índi tum Hispani, nec immerito, quoniam eos qui ad me missi sunt degustans, grati esse saporis deprehendi.

Temperatus esse videtur.

DE FRVCTV LEVCOMA NVNCVPATO.

Leucoma
fructus.

ARBORIS etiam fructum inde accepi, quem Indi Leucoma

Leucoma nuncupant: similis est nostrati castaneæ cum colore tum magnitudine, tum etiam sessili illa et albante parte quam castanea obtinet: prægnans esse videtur, sed quoniam binos duntaxat accepi, confringere nolui, cum alterum seuerim & non prodierit, alterum in aliud sationis tempus seruem. Arbor in qua prouenit vastæ est magnitudinis, materiæque firme & robustæ, folia Arbuti obtinet. Fructum edulem gratiæ saporis esse aiunt, & alii profluvia sistere quoniam adstringit: temperatum afferunt.

DE SAPONARIIS SPHÆRVLIS.

CAPSULA mihi missa fuit subere contexta, plena Saponarij spharulis admodum rotundis & nigris atque splendenti-globuli. bus, sic ut ex ebeno confectæ viderentur. Et verò constabant ex fructu in pumila arbore nascente magis incurva quam recta veluti Ruscus, cuius folia filici sunt similia. Ferunt ij frutices rotundum fructum nucis magnitudine lenta quadam pulpa tectum, qua sublata relinquitur sphera quedam maximè rotunda, coloris nigri, adeo dura, ut nisi malleo aut alia quapiam re solida et dura confringi queat.

SAPONIS vicem præbent hi fructus, quoniam si binis aut tribus cum calida aqua uestes eluantur, multo nitidiores redduntur quam si saponis librali pondere elotæ forent: plurimam etenim spumam excitant, eosdémque effectus præbent quos sapo, paulatim liquefentes donec solæ sphærulæ supersint, quæ nucleus sunt huic fructus: perforantur deinde hæ sphærulæ, sicutque ex iis precaria corona adeo elegantes ut ex ebeno confectas dicas, tum diutini usus, quoniam difficulter confringuntur. Est verò is fructus adeo amarus, ut nulla quadrupes aut avis eum degustent.

Aliquott

Aliquot ex iis terræ credidi, quæ enata sunt, foliæ que gestant admodum elegantia, & viridia, fructum suo tempore prolaturas existimo, parvulae enim adhuc sunt plantæ.

* *D E S C R I B I T* hunc fructum Ouidius Indicæ historiæ lib. 9. Sunt, inquit, in his insulis [Hispaniola videlicet] & continentì quædam arbores, quæ à precariis sphærulis & à sapone cognomen acceperunt, quarum folia filicis folia non nihil referunt, licet minora sint. Celsæ sunt & formosæ, fructum ferentes auellanæ aut cerasij magnitudine, corolla insignitum, minimè edulem, qui sole exsiccatus subflavum colorēt retinet, is ossiculum intus continet globulo bombardario æqualem, rotundum, nigrum; at si solis radiis opponatur, subrufum, quod semen exiguum & amarum habet. Ex his ossiculis perforatis fiunt precatoriæ corollæ, non inelegantiores quam si ex ebeno confectæ essent, imò iis præstant, cum quod leuiores sint, tum non adeo fragiles. Fructu integro cum aqua calida panni expurgantur perinde atque sapone: at si quis frequenter eo vtatur, pannos vrit & corrumpit: semel duntaxat necessitatis causa eluisse sufficiat. pulpa ossiculum ambiens ea est quæ saponis vicem præbet.

DE GRANADILLA.

Granadilla.

A L L A T V S mihi ex continenti herba fructus est, quæ in Peruanis montibus ubi sponte nascitur Granadilla appellatur, quod nomen illi imposuerunt Hispani ob similitudinem quam cum nostris malis granatis haberet, nam eiusdem fere est amplitudinis, atque etiam coloris, quando maturus est, nisi quod corona careat: nunc in siccato, si agitetur, sonitum edit semen intus occlusum, quod pyri semini simile est, aliquanto maius, tuberculis quibusdam eleganter elaboratum, et aspectu iucundum: pulpa candida est & saporis expers.

cius historia

P L A N T A hunc fructum ferens Hederæ similis est, eodemque modo repit & scandit quocunq. loco ponatur. Elegans est cum fructu onusta conspicitur, propter eius amplitudi-

amplitudinem, florem habet alba rosa persimilem, in cuius foliis aliquæ veluti passionis Christi figuræ delineatæ conspiciuntur, quas magna diligentia istic pictas existimes, eam ob causam elegantissimus est flos: fructus ipse sunt granatula iam dicta, quæ matura acidulo liquore abundant, & semine plena sunt: aperiuntur ut ona, & liquor ille cum magna voluptate sorbetur cum ab Indis tum ab Hispanis: nec etiam si multos sorbeas ullam ventriculi grauedinem sentis, sed potius aluum emolliri.

Herba rara est, quæ duntaxat uno in loco inuenitur. Fructus temperatus esse videtur, & aliquantulum humidus.

DE GINGIBERE.

DOMINVS Franciscus de Mendoza Pro-regis Antonij de Mendoza filius in noua Hispania caryophyllos, piper, gingiber, aliaque aromata ex orientali India delata conseuit: sed ipso è viuis sublato, intermissa est ea negotiatio: solum gingiber remansit, quoniam feliciter enatum est: inde fit ut ex noua Hispania & aliis occidentalis Indiae locis, viride & siccatum uti ex orientali India deferatur.

EST Gingiber planta foliis Iridis at paulo angustioribus similiterque virentibus prædita: radices, uti notum est, aliae aliis maiores, quæ virentes aut recentes nulla urente facultate pollent, ideoque in frusta concise acetariis iniciuntur, ut iis saporem & odorem concilient: seritur semine aut tenuiore radice, nam utroque modo facile augetur: cum ad iustum magnitudinem excruevit, eximitur, et in umbra siccatur, ubi nullam humiditatem adquirat quæ eam corrumpere queat, propter caluto oblinicitur.

Adfertur condita, tametsi & hic probè condire no-

B rint sic-

Gingiberis
historia.

18 SIMPLICIVM MEDICAMENT.

rint siccām, quæ tamen prius iuxta locum iuncis & scirpis consitum sepulta fuerit (quoniam ea ratione tenerescit) aut calida aqua sapius lota & macerata sit donec mollescat: addito enim deinde saccharo conditur quemadmodum viridis.

MAGNA facultate aromaticā & insigni acrimoniam prædita est hac radix, admodum calefacit, ventriculo consert, eiusque dolores è frigida causa aut flatibus obortos tollit, eosdem effectus cum pipere præbet: saporem cibis quibus inspergitur conciliat: multis medicamentis adiicitur, ut ea corrigat & eorum malitiam leniat, propterea Turbith & agarico admiscetur; illis etenim vehiculi loco est, ut facilius suas facultates exerant: concoctionem iuuat, ventriculum roborat & naturalem calorrem auget: languentem ciborum appetentiam è frigida causa natam excitat, ad quem effectum maxime confert condita manè sumpta: colorem faciei præterea commendat, eadēmq. omnia præstat quæ piper, & fere similis est temperamenti.

DE INDICO RHABARBARO.

Rhabarba-
rum Perua-
num.

E Continenti, radicis, quam istic Rhabarbarum vocant, fragmentum mihi allatum est, quod certè omnes eas notas habet, quas orientale Rhabarbarum obtinet.

Rotundum est, & cortice fuscopræditum, interius rubet; & cùm frangitur, candorem quendam permistum ostendit, croci modo tingit, & amarum est: scire cupe rem qualia folia obtineat, ut observare possim an similia sint iis quæ habet ea planta quam multi in Hispania hoc nomine seuerunt, Rumicis folia obtinentem, cuius genus illam esse existimo, quoniam secundus rumex rubentem habet radicem.

Folia eius Rhabarbari, quod Rumicis genus existimo,
dii

Gingiberis
facultates.

diu cocta vehementius purgant quam radix, atque asserit Dioscorides omnia rumicis genera aluum insigniter emollire.

EST porro Rhabarbarum præclarum medicamentum & summa commendatione dignum: maximè etiam illud extulerunt quotquot illius historiam prodiderunt (solutuum intelligo, quo purgare solemus, nam aliud Græcis cognitum fuit) adeo inquam nobile medicamentum est, ut cum omni securitate, omni tempore, & omni laus. Rhabarbari legitimi laus.
 etari exhiberi possit: bilem præsertim & pituitam purgat, iecur roborat, eiusque veluti anima est, obstructiōnibus liberat, icterum solvit, sanguinem expurgat, simulque nobiliores corporis partes roborat: itaque securè in cordis morbis exhibetur: aliquot eius fibra mane sumptæ, diuturnos & difficiles hepatis, splenis, internarumque partium morbos curant, hydropicos innuant & caechicos, bonumque colorem conciliant.

Calidum & siccum est in secundo gradu, & terrestribus quibusdam partibus præditum, quæ illi adstrictio-
nem & robur conciliant.

DE CARLO SANCTO.

SECVNDO libro de facultatibus radicis cuiusdam Carlo san-
&c.
 è nona Hispania delata, quam Carlo sancto vocabant,
 egimus: eandem nunc magna veneratione, & aestimatio-
 ne proxima nauium quæ hic appulerunt classe attule-
 runt, atque Indicam radicem nunc parunt: tantas ve- Indica radix.
 ro eius facultates, tum experientia comprobatas habent,
 tum obseruarunt præter eas quas ante descripsimus, ut
 plures de Roremario celebrari non soleant.

EA in puluerem trita & puerperis, quæ obstetricum eius faculta-
 negligenzia animi deliquum patiuntur, propinata, plu- tates.
 rimum prodest sudorem pronocādo, ut liberentur. Idem

20 SIMPLICIVM MEDICAMENT.
puluis ex vino aut florum malorum aureorum stillatitio
liquore datus, mulieribus quæ partus difficultibus la-
borant magnam utilitatem ad fert.

Monachus quidā ventriculi debilitate laborabat cum
ex frigidorum humorum abundantia, tum imbecillo ca-
lore naturali, sic ut nec cibum cōcoqueret, sed is corrum-
peretur, & in magnos flatus conuerteretur: has radices
cū ex sua opinione in aqua decoxiſſet ḡarçæ parillæ mo-
do, decoctum multis diebus continuis in prandio & cena
hansit, quod illi adeò feliciter cessit, ut & ventriculus ro-
boraretur & concalesceret, eadēmque opera cibos postea
probè concoqueret, acidis nidoribus liberaretur, & fla-
tus consumerentur. Aliud præterea consequutus est non
speratum auxilium: nam hernia (qua per multos annos
laborabat, sic ut braccis & ligationibus quasi semper uti
cogeretur, & certis duntaxat quibusdam longis inter-
nallis eas deponeret) liberatum se sensit, cū bimestri
huius radicis decocto usus fuisset, nec braccas amplius
adposuit, sed sine illis incessit.

Vtile est huius rad. cis decoctum ad os colluendum:
nam gingiuas roborat, dentes à corruptione conseruat,
atque, si iam corrumpi incipiunt, ne latius malum ser-
pat, impedit.

SED aduersus hoc malum habeo remedium multis
iam annis à me expertum, nempe ut perpetuò aceti scil-
litici, & aquæ è rosarum calycibus stillatitiae aquis par-
tibus os colluatur: nam certissimum est, dentes eo medi-
camento subinde collutos à putredine liberari, & si ea
iam adsit, ne latius serpat, prohiberi.

Ginguarum
laborantium
remedium.

DE CARDVIS.

VT huius plantæ miram formam conficerem ad me
perlata est.

Est vero

*Est verò Carduus quidam * cerei finalis magnitu-* Carduus
dine octo angulis constans, & cerei modo striatus. Peruanus.

FACULTATEM habet vulnera curandi, quo-
 niam recens tritus, & vulneribus impositus ea curat,
 nullo adhibito alio medicamento: qua profecto ratione
 mihi perutilis fuit, cùm me ex eius spinis una pupugisset,
 quas validas & acus modo pungentes habet.

Planta videtur peregrina.

*Hvīs Cardui iconem Pena & Lobelius in doctissimis
 Aluerariis exhibuerunt: eum noster Morganus etiamnum
 apud se seruat, atque superiore æstate apud ipsum vidi, octo-
 gonum, caniculatum, rigentibus & firmissimis acutissimisque
 spinis per certa interualla præditum.

DE HERBA SOLIS.

IN SIGNIS est hæc planta, & licet iam mihi sit
 missum illius semen; aliquot tamen anni sunt, quod her-
 bam apud nos aluerimus.

Herba seu
flos Solis.

PLANTA est extremæ magnitudinis, nam duabus
 lanceis altiore eam vidi: nec minus admiratione dignus
 est eius flos, quandoquidem magnitudine & elegantia re-
 liquos quos umquam viderim flores superat: nam lance
 amplior est, variisque in medio coloribus est insignitus:
 perticis opus habet quæ eam sustineant dum crescit, alio-
 qui caduca est: eius semen melopeponum semina refert,
 pauloque maius est: perpetuo ad Solem sese obuertit hic
 flos, eamque ob causam ab ipso nomen adquisiuit: multi
 tamen alijs flores atque plantæ Soli se etiam obuertunt.
 Hortos exornare mihi videtur.

* I AM multis annis per vniuersam fere Europam vulgaris
 notitia est hic flos, qui duorum generum esse videtur: nam
 vnius planta multis interdum ramis prædita est, totidemque
 flores producit, alia singulari caule constat, & vnicum fert
 florem.

DE FLORE SANGVINEO.

Flos sanguineus.

SE M E N ex Peru delatum terræ commisi, ut eius elegantiā potius conspicerem, quām quōd illa medica facultate præditus sit.

cūs historia.

I P S A planta duos circiter palmos assurgit, ramis rectis, quos ambiunt rotunda & tenuia folia admodum virentia: flores in summis ramis nascuntur aureo admodum colore fulgentes, quinque foliis constantes, in quorum singulis sanguinea & maximè rutilans macula impressa est, oblongo cucullo extremos flores occupante & longè prominente. Elegans est flos, ad pensiles hortos exornandos aptissimus: nam & semine & surculis facilimè nascitur. Gustatus codem sapore & odore quo nasturium esse deprehenditur: insigniter calidus est.

DE PAYCO.

Payco.

S E D & herba quædam ex Peru missa est istic payco nuncupata, cuius folia plantaginis foliis cum forma, tum colore sunt similia, quæ siccata, admodū tenuia sunt, & gustata valde acria calidaque deprehenduntur.

cūs facultates.

E I V S puluis ex vino sumptus, nephriticum dolorem è flatibus aut frigida causa prouenientem tollit: ipsa vero planta cocta, & emplastri in modum dolenti loco imposta, eundem effectum præbet: quod certissimum esse ipsa experientia didici.

DE HERBA AD RENVM MORBOS UTILI.

Herba renibus utilis.

A L I A item missa est admodum utilis ad renum affectus è calida causa natos, illito parti dolenti eius succo cum rosaceo unguento mixto, et foliis ipsius plantæ superimpositis: in erysipelate & inflammationibus succus impositus valde confert: nam inflammationem tollit, & dolorem mitigat.

SVNT

SUNT verò ea folia quasi lactuca primum enata & tenerioris, similique virore præditæ, quæ gustata insipida deprehenduntur, sic ut herba perfrigida videatur.

DE LACTUCA SILVESTRIS PVMILA.

ALIAM preterea herbam attulerunt, Lactucam ^{Lactucula} silvestrem vocatam: cuius folia Lactuca foliis sunt similia ex atro virentia.

DENTIVM dolorem tollit foliorum decoctum, & diutius in ore, qua parte dentes dolent, retentum. Idem prestat foliorum succus dentium canis instillatus, herba trita superimposita. Sapore admodum amaro est: calidorem existimo quam in primo gradu.

DE HERBA AD RYPTVRAS VTI LI.

PAVLVLVM cuiusdam plantæ mihi missum fuit, cuius formam, quod ob siccitatem omnino confracta & comminuta esset, obseruare non potui.

HANC scribunt miram habere facultatem in rupturis cum puerorum tum adulorum, & rem ita se habere asserunt. Ea uititur Indus quidam recenti contusa & ruptura imposta, adhibito deinde miro quodam ligature genere, quoniam etiam sine braccis non minus firmiter ligati incedunt, quam si bracci essent, ut mihi retulit quidam qui simili morbo liberatus erat eius plantæ & ligature usu. Talem ligaturam (si adeò firma sit ut ille referebat) solam sufficere posse existimo, nulla herba aliæ re imposta: quoniam hic quendam Cordubensem confexi, qui omnes berniosos sola ligatura curabat nullis adhibitis braccis: quod verissimum est, & hic adhuc vivunt qui ab eo curati fuere.

Herba hennias & ramicos curans.

DE VERBENA.

SCRIPSIT mihi nobilis ille vir ex Peru secundum Verbenapruana.

24 SIMPLICIVM MEDICAMENT.

flumina è montibus eorum regnorum delabentia plurimam verbenam crescere, illi quæ in Hispania nascitur similem, perpetuò virentem, qua Indi in multis morbis curandis utuntur, præsertim aduersus omnis generis venena, & in his qui in cibis toxicum aut simile aliquid hauserunt.

NOBILIS quadam matrona ex Peru rediens mihi asseruit se multis annis agram fuisse, cùmque plurimorum medicorum opera usq; fuisse, Indum tandem quendam accessisse, qui in plantarum scientia celebris habebatur, qui que inter Indos medicum agebat, verbena succum depuratum illi propinasse, à cuius usu post paucos dies lumbricum eieciisset (colubrum ipsa nuncupabat) hirsutum, pede longiorem, crassum, cauda bifida, deinde omnino conualuisse. Ipsam porro Nobili cuidam viro in Peru, qui continuè agrotabat, singulis diebus manè eundem succum saccharo permistum sumeret, persuasisse (ita enim ipsa hauserat ob amarorem) illum deinde plurimos lumbricos reieciisse longos, tenues, atque inter ceteros, unum albi* cinguli instar longissimum, & tum demum integrum valetudinem recepisse. Id postea consilium plurimis aliis qui male affecti erant, & lumbricos habere suspicio erat, dedit, qui omnes sumto Verbena succo, multas ventris tineas eiecerunt, & sanati sunt. Illud remedium adeò certum affirmabat, vt unum è suis familis ostenderet, qui ob morbi grauitatem philtrum aut medicata pocula haussisse diceretur, quiq. epoto verbena succo, vomitu multa variis coloribus distincta ex ventriculo reieciisset, quæ medicata pharmaca esse afferabant, deinde conualuisse.

QVOD verò ad incantationes & medicata pocula attinet, quod ego vidi hic subiiciam.

Ioannis de Quintana dueñas primarij ciuiis famulus
vomitus

vomitū reiecit me præsente magnum tenuum & spadicorum capillorum * glomum, adseruabatque in papyro inuolutos plures alios quos binis horis ante euomuerat: quibus reiectis nulla amplius molestia torquebatur: preter eam quam vehemens vomitus induxerat.

Ioannes Langius Medicus Germanus vir doctissimus refert mulierem se vidisse plurimum de ventriculi doloris conquerentem, reiectis multis vitri & murrhinorum vasorum fragmentis atque piscium spinis, sanitatem esse adsequitam.

Aliud simile exemplum refert Beniuuenius libro de Morbis mirandis. Sed quod maiorem mihi admiracionem parit, est: Agricolam, grauissimis ventris doloribus afflictum, cum nullis medicamentis mitigari dolor posset, sibi cultro guttur praecidisse: eius deinde cadauer cum sequissent & aperuissent, inuentā in ventre fuisse magnam similiū capillorum, quales superiorem vomitu reieciisse dixi, quantitatem, & ferrea fragmenta.

H A S ego res dæmonis præstigiis tribuo: nam ad naturalium classēm referri minime possunt.

* SIMILE quoddam nec minus mirum exemplum mihi ante paucos dies retulit Franciscus Zinnig Ser^{mi} Principis Matthiæ Archiducis Austriæ &c. pharmacopœus cum in sua arte peritissimus tum diligentissimus.

Lucas Farel eiusdem Principis coquus, qui primum apud D. Mariā Hungariæ reginā, deinde apud Margaretā Parmensem ducē in simili ministerio fuerat, singulis interdum annis, nonnunquam semestribus vel trimestribus interuallis, per annum eiicit tenuem quandam lentamque materiam, angusti cinguli instar oblongam, candidam & crispam, non eam quidem continuam & integrum, sed quam per fragmenta sex, duodecim, atque etiam quindecim vlnas longa eximere cogitur: solet vero ante ea symptomata, plerunque grauem in pectore sub dextra mamilla dolorem perpeti, quem ut leuet, aggregatiuis catapotiis corporis purgat, eamque, quam dixi, materiam ex-

26 SIMPLICIVM MEDICAMENT.

cernit, tum demum morbo liberatur. Is verò, quoniam plerumque tanta capitum grauedine afficitur, ut domo egredi aut quoquam prodire nequeat, ex quorundam consilio verbenæ radicem collo appensam gestat.

SIMILE etiam exemplum ante multos annos accidere memini Iureconsulto N. Vlierden celebri apud Antuerpianos causarum patrono, qui certis anni temporibus materiam in multos veluti muliebrium capillorum glomos congestam per alium excernere solebat, qua reiecta melius habebat: nam aliqui macilenta pallent que semper cum esset, aduersa valitudine ante ista symptomata plerunque corripiebatur.

DE NASTVRTIO.

Nasturtium
Peruanum.

HERBAM habeo ex Peru delatam Nasturtium nuncupatam: exigua est, foliolaque habet rotunda Lenticulae foliis paulo maiora.

HVIS trita succus recentibus vulneribus instillatus, ipsaque herba trita superimposita, ea curat & ad cicatricem perducit, non minus quam Tabacum.

Degustata Nasturtium sapit: admodum calida esse videtur.

* HVIS stirpis legitimam iconem pte ex nostri Lobelij commentariis. Ipsam sicciam ante aliquot annos mihi communicauit Ampliss. vir Dn. Augerius Busbequius Ser^{mx} Reginæ Elizabethæ Caroli IX. Gallorum Regis viduæ aulæ Praefectus, ex Hispaniis delata: flos est aureus, Persicariæ siliquæ, quam vulgus Noli me tangere appellat, flori persimilis, sed longiore calcari præditus: folia asarinis minora, non minus tamen orbiculata. Semen à Ioanne de Hollebeque Francisci fratre Hispaniæ Regis hortulano aliquando mihi communicatum memini, quod diligenter terræ commixsum non est enatum.

DE HERBA MORTEM AVT VITAM
IN MORBIS PRÆNVNTIANTE.

Herba mor-
tem in mor-
bis prænun-
cians.

ANNO 1562. Comite de Nieuwa in Peru cōmorante,
in eius familia mulier quadam illi inseruiens maritum
habuit

habuit graui morbo decubente; cuius causa cum ipsam admodum tristem Indus quidam primarius conspiceret, interrogauit an scire cuperet, utrum ex eo morbo periturus esset an superstes futurus maritus, herbareum se illi missurum, quem in mariti sinistra manu poneret, eamque deinde diutius comprimeret: nam si superstes futurus esset, quamdiu eam herbam manu teneret, alacrem & letum, si moriturus, mestum & anxium fore. Missum ab Indo ramum marito in manum dat, comprimeretque iubet: sed illico tanta mestitia & anxietas ipsum oppressit, ut illa, metuens ne subito extingueretur, ramum ex manu tolleret & abiiceret: is deinde paucos post dies extinctus est.

CUPIENTI mihi an ista vera essent perscrutari, nobilis quidam qui multis annis in Peru vixerat, certum esse affirmabat, & usitatum esse apud Indos in egritudinibus id facere, quod sane magnam mihi admiracionem attulit.

DE COCA.

CVM tam multis annis celebrem illam apud Indos Coca. plantam, quam Coca nuncupant, & tanta cura & diligentia serunt atque colunt, quoniam omnes eam in quotidianos suos usus & oblectationes conuertunt, videre cuperem, ad me perlata est.

EST vero ea vlnæ magnitudine, foliis Myrti paulo Cocæ histomaioribus (quaæ veluti aliud folium simili forma in meditullio delineatum habent) mollibus, dilutius virentibus: fructu racematis coharente, uti Myrti fructus rubente quando maturescit, eiusdemq. magnitudinis, quando vero plenam maturitatem adeptus est, nigricante: tum vero herba est messis, quæ collecta in canistris aliisq. rebus

rebus ad exsiccandum reponitur ut melius conseruari & in alias partes transferri queat: nam è montibus in alios montes defertur mercimonij gratia, proque aliis mercibus commutatur, vestibus, gregibus, sale, & aliis rebus, quia illis pro pecunia est. Reconditur semen in mastiche, atque inde exemptum alibi seritur in terra bene culta, per suos ordines & series, uti apud nos fabae aut pisa.

Cocæ usus.

VULGARIS est eius usus inter Indos ad multas res, tum ad eas quæ ad iter necessariae sunt, tum quæ ad voluptatem in suis ædibus seruiunt, hoc modo. Conchylia aut ostreorum conchas urunt, & calcis modo commununt: folia deinde Cocæ dentibus atterunt & subinde puluerem illum conchyliorum vestorum admiscent, & simul quasi fermentant, ut tamen minor sit calcis quam foliorum quantitas: ex hac massa trochiscos seu orbiculos conficiunt, & siccandos exponunt. Quando iis uti volunt, unum orbiculum in ore sumunt, eumq. exugunt, subinde in ore nunc hac nunc illac versantes, et quamdiu possunt retinentes: uno absunto alium sumunt, deinde tertium, sic pergentes toto tempore quo iis in longis itineribus conficiendis opus habent, præsertim si per loca fiant, ubi nulla aut cibi aut aquæ copia est, quoniam horum orbiculorum sorbitione, famem, sitimque sibi leuari, & vires sustentari afferunt.

Si duntaxat voluptatis gratia uti volunt, solam Cocam mandunt, eamque in ore versant, donec omnis facultas absunta sit, deinde aliam sumunt. At si inebriari, aut aliquantulum extra se rapi, & veluti mente alienari, Cocæ Tabaci folia admiscent, atque simul mandunt & sorbent: ea ratione extra se feruntur veluti homines ebrij, magnam voluptatem inde capientes. Et profecto res admiratione non caret, cōspicere quam isti Indi oblectentur

oblectentur mente & sensu quasi priuari, quandoquidem eius rei gratia Cocam cum Tabaco sumant, aut solum Tabacum, ut in secundo huius Historiae libro de Tabaco diximus.

* IPSAM Cocae historiam alias ex Petri Cieçæ commentariis De rebus Peruanis retulimus in nostris ad caput de Betre Historiæ Aromatum lib. I. Annotationibus.

Sed & Benzo lib. 3. cap. 20. Cocæ in hanc sententiam meminit. Peregrè profecturi [de Peruanis loquitur] rubro quodam bitumine faciem oblinunt, herbamque ore clausam (Cocam ipsi appellant) velut panchrestum quoddam pharmacum circumferunt. Quippe eius præsidio freti, integrum diem, nullius nec cibi nec potus egentes iter faciunt. Atque hoc quidem herbæ genus, earum rerum, quibus mercaturam exercent, præcipuum est.

DE CAÇAVI.

Eadem ratione, negotio amicis dato ut ex S. Dominici vrbe illius herba ex qua caçaui fit, folia ad me perferrent, ea accepi.

Caçaui autem panis est, quo Indi tot seculis vitam ^{Caçaui.} sustentarunt, & hodie etiam vescuntur nostri Hispani. Yucæ història. Fit vero ex herba ab Indis Yucanuncupata, quinq. aut sex palmos alta, foliis latis & manus humanæ modo expansis atque in septem aut octo lacinias diuisis, perpetuò virentibus. Seritur terra probè culta & in sulcos dueta, fragmentis radicis: fructus [radicem intelligit] crassus est, glomeruli fili, aut magnorum naporum modo, cortice exteriore fusco, parte vero interiore admodum candida; eo dum uti volunt corticem adimunt, & panem conficiunt hac ratione.

Repurgatum suo cortice, instrumentis quibusdam (iis quibus mulierculæ linum pectunt similibus) quibus sunt dentes acuti & firmi, in frustula secant et comminuunt, ^{Caçaui conficiendi ratio.} quod

30 SIMPLICIVM MEDICAMENT.
quod comminutum est, in manticam ex palmæ foliis contextam iniiciunt, & pondera quædam veluti grandes lapides superimponunt, ut suo pondere succum ex fructu exprimant, quo probè expresso fructus crassior materies amygdalis tritis & expressis similis restat: qua patine insecta lento igne coquitur, & densatur, subinde illam voluendo uti oua frixa solent: ea bene densata, placenta fit, nummi hispanici octo regales estimati crassitie, quam Soli siccandam exponunt. haec placentæ illis panis vicem præbent, multum nutriunt, possuntque multo tempore incorruptæ conservari: nam nauibus quæ inde huc in Hispaniam appellunt imponuntur panis biscocti vice pro alimento: verum fances exasperat eius caçauï usus, nisi aqua, aut iuscule maceretur, aut aliis cibis commiscetur, ea etenim ratione edi potest: at qui siccum comedere vellet, altera manu vasculum aqua plenum perpetuò tenere necesse esset, alioquin minimè deglutire posset.

Yuccæ succus
lateralis, &
salubris.

SED mira est expressi succi iam memorati natura: nam si homo aut animal cum bibat, aut degustet, illico moritur, tamquam præsentissimum aliquod venenum hausisset: at si hic succus primum ferueat, & ad medias decoquatur, deinde refrigerari sinatur, aceti usum præbet non minus præstantis quam si ex vino confectum foret; si vero coquatur donec crassitatem adquirat, dulcescit & promelle est: vide quanti in rebus momenti sit cœtio, quandoquidem præsens venenum in alimentum & potum salutaria conuertit.

Yuca Perua-
na minimè
noxia.

NEC minore admiratione dignum est, omnem Yu-
cam in continentia nascentem, tametsi ei quæ ad S. Domi-
nicum nascitur, ex qua Caçauï fit, similem, salutarem
esse, ciuisque fructum [radicem] edulem esse, & succum
inde manantem potabilem esse, nullamque noxam adfer-
re: cam autem quæ ad S. Dominicum prouenit (quacun-
que tan-

que tandem ratione edatur) eiusque succum non coctum perimere. Locorum vero naturam tanti momenti esse, ut quod salubre alimentum in continentis præbet, id in omnibus insulis præsens sit venenum. Quemadmodum Columella de Persico scribit, perniciosum venenum in Perside fuisse: at ubi in Italiā translatum fuit, noxiū illum succum deposuisse, & suauem salutarēmque præbuisse.

VTCVNQVE sit, cùm Indiæ Mayzo abundant, id- Mayzuus
que istic in omnibus prouinciis sit maximè vulgare, Ca-
çaui vesci nolle, quandoquidem mayzum non minus
nostro frumento alat, nec illa noxia facultate sit prædi-
tam, sed sanum sit & salubre ventriculo: fit ex eo panis
quemadmodū ex caçaui, nam molitur & in farinam re-
ducitur, atque adiecta aqua in massam cogitur, ex qua
globulos confectos elixant: sed recentes edi debent, quo-
nam resiccati asperi sunt, difficulterque deglutiuntur,
& dentes offendunt.

BATATAS in illis regionibus admodum communes Batatae.
cibum multi alimenti esse existimo, mediaq; esse veluti
substantia inter carnes & fructus: flatulentæ tamen
sunt, sed assatae flatus deponunt, præsertim si cum genero-
so aliquo vino edentur: ex iis etiam fiunt & conseruae
non minus gratæ, quam cydoniorum carnes, & morselli,
& placentulae, & alia edulia gratissimi saporis: funda-
mentum sunt ad omnis generis conseruas conficiendas, &
edulia.

Nunc adeo frequentes sunt in Hispaniis, ut singulis annis è Velez-Malaga decem aut duodecim longæ na- Batatae in
ues quas Carauellas appellant, iis onustæ Hispalim in- Hispaniis
uehāturi. Seruntur vero aut minores integræ, aut maio- frequentes.
res in frusta cōcīsæ, solo bene culto & in suos sulcos ducto,
feliciterq; nascuntur: nam intra octauū mensēm in eam
crassitie ex crescunt, ut edi possint et in alios usus parari.

Tempera-

Temperatæ sunt, & coctæ vel assa ventrem emolliunt: at crudæ esui non sunt aptæ, quoniam admodum flatulentæ sunt, difficilissque digestionis.

* M V L T A de Cazabi, ipsaque Yuca planta & Mayzo atq. Batatis Ouidius in epitome & Indicæ historiæ lib. 7. lectu digna adfert.

Yuca.

SE D & Gomara Historiæ generalis cap. 71. vbi prouincia S. Marthæ dotes describit, similia propemodum de Yuca cum nostro Auctore refert.

Yuca, inquit, quæ in Cuba, Hayti & reliquis insulis nascitur, perniciosa est si cruda edatur: in hac verò prouincia salubris est. Ea cruda, assa, elixaque vescuntur, & quocunque tandem modo parata grati est saporis. Radice ferit, non semine: digeruntur certa serie terræ tumuli, deinde ipsius stirpis caules, qui solidi crassi, nodosi, cinereiisque coloris sunt, palmitum modo præciduntur, & singuli in singulis tumulis ita reconduntur, ut dimidia pars supra terram extet: vbi comprehenduntur, cubitali altitudine excrescunt, folia habent viridia, canabinis similia: quatenus verò terra latent, in radices gallicianis napis similes conuertuntur. Operosa est eius satio & cultura, attamen certa, quandoquidem fructus in radice consistit. Annuo spatio maturitatem consequitur: præstantior tamen redditur si bienio sub terra lateat.

DE TVBVLIS AD ASTHMA VTILIBVS.

Tubuli
asthmatici.

AD VEHVNTVR è noua Hispania tubuli quidam cannarum, interiore & exteriore parte quodam gummi illiti, quod meo iudicio Tabaci succo infectum est, & caput tentat: eo ni fallor cannam inungunt, utq; tenax est, firmiter inhæret, colorisque nigri est, induratum autem non est tenax: incenditur tubulus ea parte qua bitumen est, altera verò in ore sumitur, fumisque excipitur, qui omnem pituitatem et purulentos humores è pectore educit: eo verò vtuntur cùm asthmate se premi & veluti suffocari sentiunt.

Prima-

Primatem quendam qui s̄apientia asthmate laborabat eius usu plurimum utilitatis consequutum obseruauit: simile commodum ante ex Tabaci fumo percipere solebat: propterea aio Tabaci succum admixtum esse oportere: tutum autem utriusque esse usum ipsa experientia in multis docet.

Nonnulli agri & asthmate vexati ex India redeuntes obseruauit Tabaci folia viridia mandentes, et succum inde promanantem sorbentes ad purulētas materias expellendas, qui licet ineibriarentur, plurimam tamen utilitatem sensisse apparebat cum ad pus, tum ad pituitam pectori inherentem propellendam.

Mirum est quām insignes & variæ Tabaci facultates singulis adhuc diebus deteguntur: nam præter eas ^{Tabaco.} quas secundo libro descripsi, tantundem adhuc proferre possem, quas postea & referentibus aliis intellexi, & ipse obseruauit.

DE LIQVORE AMBIA.

MISSVS est mihi in crasso harundinis tubulo li-
quor quidam è fonte emanans non procul à litore maris, ^{Ambia li.}
mellis modo flauus & liquidus, & odore Tacamachæ. ^{quor.}

Aiunt, & literis ad me scriptis significant insignium eius facultatum, inueteratis praesertim in morbis & à tes. frigida causa prouenientibus: omnium corporis partium dolores à frigore aut flatibus ortos lenit, & perfrictiones tollit: quo scunque tumores resoluit, eosdēmque obtinet effectus quos Caraña aut Tacamahaca, illarūmque vicem in ea regione præbet. Manibus non nisi madentibus tractari potest, & ubi cunque reponitur, adeò tenaciter hæret, ut auferri nequeat, nisi temporis successie absumatur.

Exigua admodum quantitate & duntaxat pro spe-

C cimine

cimine mihi missus est, quoniam istuc magna est aestimationis, & pro re magni pretij adfertur.

Calidus tertio gradu videtur, manifesti lentois particeps.

DE BALSAMO DE TOLV.

Balsamum
de Tolu.

eius historia.

extrahendi
ratio.

Apes nigrum
ceram ela-
borantes.

N V N C recens aduehitur ex Continentis quadam prouincia inter Carthaginem & Nomen Dei sita, Tolu ab Indis appellata, Balsami quidam liquor, maximum virium, prestantissimumque quod hactenus ex iis regionibus allatum sit, medicamentum.

A R B O R E S è quibus colligitur pumilis Pinis sunt similes, multos ramos quaquauersum spargentes, foliaque Ceratiae similia obtinentes perpetuo virentia: prae- runtur domesticæ & in cultis natæ.

Colligunt verò hunc liquorem Indi vulnerato & inciso arborum cortice qui tenuis & tenellus est, suppositisque, & arbori adnexis veluti quibusdam cochlearibus è cera nigra in illis regionibus nata confectis, quæ emanantem è vulneribus liquorem excipient, quem deinde in alia vascula ad eam rem parata effundunt: id verò feruentissimo sole fieri necesse est, ut liquor facilius emanet, nam noctu ob frigiditatē nihil effluit, erumpit etiam interdum ex ipsis arboris nodis & alis nonnihil liquoris, qui cum exiguus sit, & in solum decidat, perit.

P O R R O apes quæ ceram istam conficiunt, nigre sunt, cāmque in terra hiatibus & cauernis subterraneis elaborant. Plurimam autem huiusmodi ceram in Hispaniam deferri vidi, qua ad paranda funeralia utebantur: sed ob tetrum quem eius fumus spirabat odorem vetitus fuit eius usus, postea tamen in medicamenta receptus. Etenim perutilia ex hac fiunt cerata ad nitigandos dolores è quavis causa frigida prouenientes: nam tumores res 16

res resoluit, & plurima alia commoda prestat.

CETERVM Balsamæus hic liquor apud Indos maximè celebris est, ob insigneis eius facultates, à quibus edocti deinde Hispani, cùm miros eius effectus animaduerterent, pro re maximi pretij inde in Hispaniam detulerunt, magno illuministic redimentes, nec abs re, quan- Balsami de doquidem mihi præstantius esse maiorib[us]que facultati- Tolulaus. bus pollere videtur eo qui è noua Hispania aduehitur.

Colore rubro ad aureum tendente est, mediae inter liquidum & densum consistentiae, glutinosus admodum, & ubicunque reponatur firmiter inhærens, sapore dulci & grato, nec si sumatur nauseam mouente quemadmodum reliqua Balsama, odore excellentissimo, & limonum fragrantiam quodammodo referente, sic ut ubicunque reponatur, abscondi non possit, sed suo odore locum gratior rem reddat: etiam pauxillum in vola manus attritum, suauissimum spirat odorem uti Jasmini ferè.

EIVS facultates insigneis sunt, quoniam incisione elicetur, quemadmodum olim Balsamum in Ægypto, ad eadem omnia ad quæ illud celebrabatur, efficax.

Omnia recentia vulnera curat, consolidat, glutinat- eius facultates que labra, nec materiam purulentam in iis exoriri sinit: quodque maius est, nullum cicatricis vestigium curatis vulneribus relinquit, si eorum labra probè iuncta fuerint, quapropter in facie iei vulneribus singularis est, quandoquidem ea sine purulenta materia generatione curat, nec vestigium ullum relinquit. Primum autem emundandum est vulnus ab omni spurcitie, & vino eluendum, deinde eius labra probè unienda, Balsamumque subtepidum illinendum, & lineus pannus duplicatus eodem Balsamo intinctus superimponendus, atque ita colligandus, ut labra hiare nequeant: postmodum victus ratio sit tenuis, seceturq. vena si necesse sit: quarto demum

die soluatur ligatura (nisi symptoma aliquod ante soluerre cogat) & vulnus consolidatum inuenietur. Quod si singulis diebus vulnus curare necesse sit, lineum pannum Balsami liquori intinctum subinde adponendo glutinabitur: ceterum eius facultas est prohibere, ne materia in vulnera generetur. Præsertim vero utile est in vulneribus in quibus confracta sint ossa, exētis prius iis quæ separata sint fragmentis, & reliquis intactis, quoniam Balsami facultas ea expellet, vulnusque sensim consolidabit. Miræ etiam virtutis est in articulorum vulneribus, & neruorum sectionibus, omnibusque puncturis, ceterum ea curat, atque à contractione liberat, ne partes inutiles fiant & motu priuentur. Altè penetrantia & cuniculosa vulnera curantur huius Balsami albo vino mixti per syringam iniectione, & post ternas deinde horas eius eductione: idem fit in vulneribus punctim inflictis, semel in die mediocriter calidum iniiciendo. Utile præterea est in contusionibus, reliquisque chirurgi operam requirentibus, modo nulla insignis inflammatio adsit: ea vero conuenientibus medicamentis sublata, balsami est usus

IN morbis chirurgi operam minime requirentibus plurimum prodest, veluti in asthmate, haustis eius aliquot ex albo vino guttis: capitis dolorem è frigida causa prognatum lenit, lineo panno eius liquori intincto, capiti circumligato: & temporibus adpositum, omnem defluxionem cohibet, in oculos præsertim, eorumque dolores lenat; calidum adm odum cerebro impositum dolorem tollit, rororat, & paralysi remedio est. Vsi sunt eo nonnulli phthisici, manè aliquot guttas è manu lambendo, magnumque senserunt commodum, quoniam peccus egregie expurgat. Aliquot eius guttae ex aqua vita calida initio rigoris in quartanis, aut tertianis diuturnis & importunitatibus sumta,

v tiles

utiles sunt, sed etiam ante frigus eodem balsamo feruenti oleo rutaceo permixto cernices inungenda. Si quis ab orificio ventriculi ad umbilicum usque inungatur, ventriculus roboratur, & dolore liberatur, languens cibi appetentia excitatur, concoctio innatur, flatus discutiuntur: at longè maiore efficacia istud molitur, si æquales balsami & olei nardini cōpositi vel simplicis partes misceantur, & facilius etiam illinitur.

Longa experientia apud fndos probatum est, eos qui Hydropicorum in morem tument, si hoc balsamo æquis partibus cum unguento aperitivo mixto ventre illinant, lienis regionem præsertim, magnum lenamen sentire: quoslibet tumores et œdemata cuiuscunque partis corporis resoluit: omnes dolores à frigida causa promanantes etiam diurnos tollit emplastri modo applicatum, & continuè delatum donec sponte decidat. Eosdem efficiens præbet calide adpositum, lineoque panno, qui aqua vita selectissima & calefacta madeat superimposito, ubi sunt flatus sine in ventre, sine in alia corporis parte. magna est etiam efficacia in nephritico dolore, si feruens cum aliis oleis ad eum morbum utilibus mixtum illinatur: contractorum neuorum dolorem lenit, & si per summos astus illo illinantur et fricentur, eos relaxat: parotides seu scrophulas tum cæcastum apertas curat.

ALIAS præterea multas facultates obtinet hic mirabilis liquor, quæ me latent: sed quas intelligere potui, uniuerso orbi notas facio, ut adeo præclaro medicamento & tam insignibus viribus prædicto (quibusq. longè plures & maiores tempus deteget) quilibet uti queat.

*DONATVS sum (nisi me opinio fallat) pauxillo simili Balsamo à nostro Morgano sub meum è Londino discessum anno 1581.

DE BITVMINE FOSSILI.

Bitumē sol-
laicum.

Bituminis
cliciendi ra-
tio.

facultates.

Bitumen pan-
nonicum.

IN Collao prouincia Peruana, locus quidam omnino nudus est, in quo nec vlla arbor nec planta crescit, quoniam terra bituminosa est, ex qua Indi liquorem eliciunt ad plurimos morbos curandos utilem. Eum vero hac ratione eliciunt.

TE R R A M in cespites scindunt, eos loco Soli exposito supra perticas aut crassiores arundines disponunt, et vas ad excipiendum liquorem apta supponunt: nam Solis ardoribus liquefecit hoc bitumen aut succus terra inclusus, deinde remanent cespites siccii & sine pingui aliquo humore, ad focum struendum apti, quoniam eo loco & arbores et struendo igni idonea desunt: sed is ignis noxius est, ob fumi densam nigredinem, & teturum odorem quem excitat: nihilominus alterius materiae penuria, cespitibus iam dictis vtuntur.

LI Q V O R exceptus multis morbis prodest praesertim ex frigore prognatis, nam dolores mitigat & tumores frigidos discutit: curantur eo vulnera, & reliqua aegritudines quibus Caraña & Tacamahaca utiles sunt.

Rufi ad nigredinem tendentis coloris est, & grauis odoris.

* **L**I Q V I D V M huiusmodi bitumen ante biennium, in ea Pannoniae, quæ inter Muram & Drauum, paucis supra eorum confluentes miliaribus est parte, obseruaui, cum Illustris Heros Dn. Balthazar de Barthyan, hereditarius Dapiferorum Regni Vngariæ præfectus, in ditione quam istic & ultra Drauum possidet, deduceret: nigrum vero id est, graui & nares è longinquoferiente odore, dulciique sapore præditum, palustri loco lacuna quadam nascens, quo rustici duntaxat ad inungendos curruum axes, calceosque & ocreas emolliendas vtunur. At non dubium est, quin ad plurimos morbos utile esse posset, si eo vti nossem, praesertim ad frigidos tumores discutiendos, & ea vitia, quibus suum bitumen prodesse noster Auctor scribit.

DE LAPIDE BEZAAAR PERVANO.

TAMET SI in secundo Libro de lapide Bezaar in montanis Peru inuento egerim: quoniam tamen primus Lapis Bezaar illius in ea regione obseruator aliquot mihi misit ex optimis qui inde adferuntur; hoc tertio libro de illis etiam agere volui. Eos autem gratitudinis ergo misit, quoniam ut ipse in ea epistola quam secundo libro inseruimus ait, meus libellus (qui peculiariter de lapide Bezaar inscriptus est,) illis veluti dux fuisset & auctor, ut istum lapidem primum obseruarent & agnoscerent.

APPARET eos quos mihi misit admodum esse excellentes, cum ex colore, tum ex forma & magnitudine: ex his aliquot comminui qui ex tenuibus splendentibusque laminis eodemque colore constabant, quo qui ex India Orientali aduehuntur, atque aut in puluerem aut in granulum ut illi desinebant. Verum quidem est eos qui his selectioribus notis praediti sunt quas probatissimi lapides Bezaares obtainere debent, ex animalibus que in montanis degunt eximi oportere: nam qui ex animalibus in planis viuentibus educuntur, improbi sunt, nec ulla quis improbus. medica facultate praediti, quoniam non aluntur iis salutiferis herbis è quarum succo ruminazione illa concreto generantur lapides, uti probè mihi demonstrauit primus illorum obseruator, qui videre cupiens qua ratione in animalibus generarentur, suis ipsem manibus eorum animalium anatomen fecit, & mihi deinde significauit eos gigni in receptaculo quodam fasciae modo confecto & villosa carne constante duorum palmorum longitudine, & trium fere unciarum latitudine, ipsi ventriculo parte interiore adhaerente, alios aliis maiores, & quodam ordine dispositos uti nodos vestem anteriore parte claudentes, hoc modo:

Eo receptaculo aperto eximuntur lapides, quos istic

Lapidis Be-
zar orienta-
lis & perua-
ni similis ge-
neratio.



magna Naturæ prouidentia ad nostram salutem & nostrorum morborum remedium generari, summa admiratione non caret.

Atque, ut intelligo, qui ex orientali India adferuntur, eadem ratione inueniuntur (de legitimis loquor, quoniam tam multi adulterini aduehuntur, ut è centum vix denos legitimos inuenias, quemadmodum ipsimet Indici scriptores fatetur istic multos adulterinos conflari) & eximuntur è certo caprarū genere quæ magna ex parte rufæ sunt uti nostræ: suntque etiam selectiores qui ex animalibus in Persia montanis degentibus educuntur, quæm qui ex aliis capris in Malacæ planis & campestribus viuentibus: nam illi eo pretio non habentur, neque eam præstantiam & facultates obtinent, quas Persici, quoniam Malacenses capræ ad lanienam duntaxat seruantur, cum adeò salutiferas plantas non depascantur, uti quæ in montanis degunt. Eadem plane est ratio in occidentali India: nam quæ in montanis Peru vitam agunt, selectiores et legitimos lapides & ad medicamenta utiles habent; quæ verò in campestribus pascuntur, Malacensibus similes sunt, quæ gregatim incedunt & vivunt uti greges qui ad lanienam seruantur: ex iis enim multi quidem lapides eximuntur, sed inutiles, quoniam salubres illas montanas herbas non depascuntur, quemadmodum diximus.

*Si insignes istius Peruani lapidis facultates, omnèsq.
morbos*

morbos quos curasse afferunt qui ex ea regione redeunt,
& mihi scribit nobilis ille vir, hic enarrare vellem: ma-
gnus liber de eo scribendus foret. Quapropter ea dunta-
xat proferam quæ ipse sum expertus, ut iis maior fides
adhibeatur, & intrepidè uti lapide queant, quandoqui-
dem experientia constet similes facultates possidere.

NOSTER igitur lapis Bezar occidentalis insigne Lap. Rezac
facultates obtinet: præsertim in cordis ægritudinibus, in Peruani fa-
cultates. quibus magnam eorum qui mihi missi fuere partem in-
sumsi felicissimo successu, sic ut multi syncope laboran-
tes, ea sublata, à morte liberati sint: propinari autem
debet in ipso paroxysmo, aut paulo antè, manè iejuno
vetriculo, ex aqua rosacea si adsit febris, si absit, ex aqua
florum mali aureæ, in puluerem tritus ad pondus qua-
tuor granorum singulis vicibus: obseruani autem in mu-
lieribus præsentius adferre remedium, quàm viris.

In omnis generis venenis nullum præstantius noui- Venenis.
mus remedium, quoniam eos qui aut venenum hanse-
runt, aut à virulentis insectis præmorsi fuerant, mirum
in modum iuuit. Qui aquæ stagnantis potu in qua vi-
rulenta animalia versantur illico intumuere, sumto isto
lapide bis aut ter, sanatos conspexi.

In pestilentibus febribus sæpius exhibui, & sanè ea- Pestil. febrib.
rum virus extinxit, cuius rei primariam in similibus
morbis curam medicus habere debet: nam licet putrefa-
ctio prohibetur, nisi extinguatur virus, inutilis erit cu-
ra, quoniam illud est quod hominem ingulat. Similiter
si adsint carnis cum rubore eminentiae quas Hispani ta-
uardete appellant, quæ plerumque huiusmodi. febres co-
mitari solent, lapis Bezar peruanus maximam vim pos-
sedit: nam in similibus morbis maiorem eorum quos acce-
pi partem absunsi, plurimique felici & miro successu
curatis sunt.

Melanchol.
humorib.

Miros autem effectus præbet in melancholicis humoribus, siue uniuersum corpus, siue eius duntaxat partem uti caput occupent, atque in Arabum lepra seu Gracorum elephantias: item in scabie, prurigine, erysipelate, & reliquis cutis vitiis præsens adfert remedium, quoniam ad ea sananda peculiarem facultatem habet.

Quartana.

Quartana laborantibus dedi, & licet febrim non tollat, eius tamen aufert symptomata, animi mœrores, anxietates, & cordis affectus quæ in istis febribus vulgaria sunt, magnamque ex eius usu utilitatem senserunt.

In omnibus diuturnis & importunis morbis magno successu exhibere soleo, præsertim in quibus veneni suspicio est, aut flatus adsunt: nam in similibus peculiarem vim habet: hinc fit, ut plurimum conducat eius aliquot grana purgantibus medicamentis iniicere; quoniam si medicamentum simplicia quedam venenosa continet, ea corrigit; sin minus, cor roboret & faciliorem deiectionem molitur.

CONS VET V DINIS est in orientali Índia bis singulis annis corpus purgare præsertim apud nobiliores: atque purgato corpore singulis diebus ie uno ventriculo quatuor lapidis Bezaaris grana ex stillatitio rosarum liquore, aut alia ad eam rem accommoda aqua sumere: eo iuuentam sibi conseruari persuadent, & omnia membra roborari, atque à morbis præseruari: eius usum non nisi salutarem esse posse certum est.

Ventrts ti-
neis.

Aduersus lumbricos et vētris tineas felici successu propinatur hic lapis: cum multis exhibui, præsertim pueris & adolescentibus eo morbo affectis, & vix credibile est quantum profuerit: solum dare soleo, vel cum sequenti puluere mixtum, hac ratione.

Puluis ad
lumbricos.

Rx. herbæ lumbricorum drachmas duas, seminis san-tonici drachmam unam, cornu ceruini usli, seminis por-tulace

salacia & carlinæ singulorum dimidiam drachmam, lapidis bezar peruanæ dimidiam drachmam: reducantur omnia in tenuissimum puluerem & probè misceantur.

Miras facultates obtinet iste puluis, & experimento comprobatum est multis profuisse: datur manè ieuno ventriculo ea quantitate quæ medico commoda videtur, pro eius etate qui sumere debet: eo sumto, duabus horis post, aliud clystere cōfecto ex lacte & saccharo elui debet.


Infantibus epilepticis datur lapis cum lacte si adhuc Epilepsia.
lactant; sin minus, sine lacte: in natu maioribus epilepsia
laborantibus etiam cum magna utilitate exhibetur, per
se, aut aliis rebus ad eum morbum accommodis admixtus.

Breniter hoc lapide uti solemus in omnibus diuturnis
& difficilibus morbis, in quibus medicamenta vulgaria
nihil profuere, eoque magna cum utilitate, aut saltem
sine noxa.

*TERNOS eiusmodi lapides habui munere Generosi Dn. Lapidis Bezar FRANCISCI DRAKE, ouifèrè passerini magnitudine, qui di- peruanæ varia midiam circiter drachmam pendebant. Ille verò alias adserua-forma.
bat, qui binas atque etiam plures drachmas penderent. Eorum autem forma nunc orbicularis, modò compressa aliquātulum, vel inæqualis, modò renis formam exprimens, color nunc nigricans, nunc subcinereus, interdum flauescens: constantque ex tunicis siue crustulis modò crassioribus, modò tenuioribus alia aliam amplectentibus, politis interdum & splendentibus, non nunquam aliquantulum scabris, extima præsertim & reliquas complectente, ut in renum & vesicæ calculis videre licet. Sed inueniuntur etiam nonnulli quorum crusta exterior variis locis adeò altè exesa conspicitur ut secunda appareat tunica, non nunquam etiam & tertia. Magni munera loco hos à Regulis sibi inuicem missitari asserebat.

VERVM postquam Londino Antuerpiam redij, longè maiores à C. V. D. Benedicto Aria Montano amicis missos vide-re contigit. Accepérat enim Abrahamus Ortelius qui quinque fere drachmas pendebat forma orbiculari fere, sed tamen non nullis locis compressa. Plantinus binos, alterum renis verueci-ni forma

44 SIMPLICIVM MEDICAMENT.
LAPIS BEZAR.



ni forma & propemodum magnitudine, non eum quidem integrum, sed extrema parte confractum, & laminarum situm ostendentem, atque in meditullio veluti festucæ fragmentum continentem, qui vnciæ vnius cum semisse, dum integer erat, pondere fuisse potuit: alterum compressa (qua parte ventricu- *ingens magni-*
lo adhæsit) forma, sensim deinde in tuber assurgente, è multis *tudo.*
etiam laminis seu tunicis cum crassioribus, tum tenuioribus contextum, duas vncias cum drachmis duabus et semisse pen-
dente. Dn. Ludouicus Perezius vnum, columellæ duas vn-
cias aut amplius longæ forma, vncialis cum semisse aut maio-
ris ponderis: quo longè maiorem prius acceperat, gallinacei ut
referebant oui magnitudine, quem quoniam apud se tunc non
haberet, conspicere non potui.

Ottelij lapidem cum Plantini maiore hac tabella exprimi
iussimus iusta magnitudine obseruata, quoniam integriores
essent. Alterum etiam renis forma expressissimum vt tunicarum
situm ostenderet, nisi ipse Plantinus formam corrupisset, eo
confracto & amicis, quorum pars fui, communicato.

DE LAPIDE AD VTERI SVFFO- CATIONES VTI LI.

ADFERTVR è nomina Hispania lapis quem uteri Lapis ad
morbis ad primè utilem esse ferunt. *vteri suffo-*
cationes.

Niger est, admodum politus, ponderosus, maiore ex
parte teres & rotundus.

Mirum porro est quod de hoc lapide prædicant: nam
mihi affirmauit nobilis quædam & magna auctoritatis
Matrona quæ eo usq; est, & in umbilico gestauit adeò
firmiter inherentem, quasi istic adglutinatus fuisset, ex
quo presens & certissimum sensit commodum: idem aliae
afferunt quæ simili modo isto lapide sunt usq;. Cum uteri
suffocationem imminentem præsentiant, exhibito lapide,
subito leuantur: & si eum perpetuo gestent, nunquam
simili morbo corripiuntur. Exempla huiusmodi faciunt
ut his rebus fidem exhibeam.

DE TERRÆ VARIIS COLORIBVS.

MIRVM & incundum spectaculum est terra varios colores eodem agro nascentes in Peruanis prouinciis intueri: quoniam procul aspicientibus apparent terre variorum colorum venæ, contiguae quasi & continuo in uicem subsequentes, nunc virides, nunc cæruleæ, iam luteæ, iam albæ, iam nigræ, iam rubræ, iam alterius coloris, sic ut panni variis coloribus tincti, & Soli, ut exscentur, expositi videantur.

Omnis autem istæ venæ, terræ varij generis fodinas præbent. De nigra illud affirmare possum, eius paululum mihi ad conficiendum atramentum missum in aquam aut vinum coniectum optimi atramenti vicem præbuisse, & quoniam non nihil cærulei admixtum habebat, magnam gratiam atramento addidisse. Rubra præstantissima & ditissima est fodina, ex qua argentū viuum tanta quantitate elicetur, ut eo integræ naues onustæ in nouam Hispaniam pretio inestimabili deuehantur.

INDIS usui duntaxat erant ut eas certis liquoribus & resinis admiserent, quibus sibi corpus pingere, quod in bellum prodeuntes facere solent, ut elegantiores & ferociores etiam appareant.

Paulatim in illis prouinciis dites metallica fodinae & rerum similiū deteguntur: imò iam recens cretaceum montem, & aluminis sulphurisque fodinas inuenierunt.

* FRANCISCVS Gomara historiæ generalis cap. 193, horum variorum terræ colorum etiam meminit.

Cancri pe-
ruani phih-
fisis vtiles.

DE CANCRIS PERVANIS.

NOBILIS quidam vir ex Continenti rediens mihi affirmauit post diuturnas febres continuas istic in phihism incidisse: at postquam ex quorundam cōsilio ad parnas quas-

nas quasdā inter Dinitē portum & Margareta insulas
ablegatus fuisset, in quibus plurimi nascuntur omnium
optimi cancri (solis enim onis qua illic columbae ponunt
& earum recens exclusis pullis vescuntur) ut eos coctos
solum ederet, post aliquantulum temporis quo ista vietus
ratione usus fuisset, optimè conualuit: tametsi antè nihil
illi psittacorum esus, qui ad hunc morbum commendan-
tur, profuisset.

Cancros porro phthisicis valde utiles esse Auenzoar
asserit, non manifesta aliqua qualitate, sed propria qua-
dam & abdita causa.

FINIS.

